Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2865

Quelle:
Copyright:

Verſui quoque XXII. *Auxilio tutos undique redde tuos*, ſubſtitutus eſt hic: *Pontifices fidos ac reliquos famulos. Fol.* 37. p. 2. in *Ordine de ſabbato ſancto. in uigilia pentecoſtes* rubrica ſic habet: *Finitis leccionibus deſcendendum eſt ad fontes cum ſancto criſmate. et cereis in magna reuerentia decantando letaniam. Aliqui dicunt letaniam noricam.* Quid hic nomine *noricae?* An Hymnus accentibus muſicis notatus, qui ſequitur? *Rex ſanctorum archangelorum totum mundum adiuua* &c. An *Norica* hic pro *Theotiſca? Fol.* 39. incipit: *Ordo eccleſiaſticorum Graduum* et quidem ab *Oratione ad capillaturam incidendam.* Ea, quae ſequuntur multum cum pervetuſto Rituali conveniunt, quod exhibet *Lud. Ant. Muratorius Liturg. Rom. vet.* T. II. col. 415. *Fol.* 50. legitur *Ordo ad benedicendam aecclesiam.* Orationes eaedem, quae *Liturg. cit. col.* 467. et Ordo, prout apud *Hittorpium de div. Off.* p. 107. *Fol.* 63. *Ordo romanus ad dedicandam eccleſiam*, cui cohaeret *Expoſitio rituum* hac in re uſitatorum, uti et *ueſtium aaron primi pontificis. Fol.* 76. *Ordo proceſſionis ad eccleſiam ſiue miſſam ſecundum romanos.* Confer *Liturg. ſupracit. col.* 973. et *G. Caſſandri Liturgic.* C. 22. *Fol.* 81. *Ordo miſſę a ſancto petro inſtitutus cum expoſitione ſua.* Eſt quaedam Catechefis rudior de Miſſae ritibus, quae legitur etiam apud *Hittorp.* p. 582. *Fol.* 86. *Ordo ad Regem benedicendum. Fol.* 89. p. 2. *Incipit Benediccio Regine. Fol.* 90. *Ordo Romanus ad benedicendum Imperatorem*, quem *eod. f.* excipit *Ordo ad Monachum faciendum*, et *f.* 91. p. 2. *Ordo Abbatis*, *f.* item 92. p. 2. *Conſecratio ſacrę uirginis* &c. et ſic reliqui omnes Ritus, qui apud *Hittorpium ſupracit.* a *pag.* 141 — 157. occurrunt. A *Fol.* 102. in Cod. noſtro haec ſequuntur: *Reconciliatio rebaptiſati ab hereticis. Oratio ſuper eos, qui morticinum comederint. Benedictio cum impoſicione manuum ſuper eos qui de diuerſis hereſibus veniunt*, item *redeuntis a paganis. Ordo qualiter ſacerdotes ſuſcipere debeant penitentes*, ſubjuncto prolixo peccatorum examine, additaque ſingulis poenitentia. *Ordo ad ſuccurrendum his qui a Demonio vexantur*, cum pluribus Exorciſmis, inter alios dictis *S. Ambroſii* et *S. Martini. Orationes pro ſalute unius uiui et pro Infirmo. Ordo ad viſitandum et unguendum Infirmum. Miſſa pro Infirmo.* Iterum *Ordo ad unguendum Infirmum. Ordo penitentis ad mortem. Miſſae* aliquot *pro Infirmis.* Tandem f. 120. *In Chriſti nomine Incipit Obſequium circa Morientes* cum ritu ſepeliendi, variis *Miſſis* et *Lectionibus* ex *Auguſtino*, *Gregorio M.* et *Caeſario* (Cypriano *L. de Mortalit.*) depromtis. *Fol.* 130. *Incipit Maior Benediccio Salis et Aque*, quam conſequuntur plures aliae, puta: *In Sacrario*, *in cymiterio*, *in dormitorio*, *in caminata uel in piſela* (conclavibus camino inſtructis) *in ueſtiario*, *in ſcriptorio*, *in refectorio*, *in cellario*, *in potionario*,